Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2835
Quelle:
Copyright:

DCCLXXI.

615 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 256. 4. commode perſcriptus et fortaſſis olim ſaepe memorati *Wenc. Roſſii* continet: I. *Sermones* XXXV. de Sacramento Altaris, quorum primus in illud *Prov.* 24. *Comede fili mi mel quod bonum eſt* &c. incipit: *Salomon loquitur ad litteram, loquitur de terra promiſſionis* &c. Breves ſunt, et Sacramentum ſub utraque Specie ſumendum docent.

II. *fol.* 49. initium ducunt *Sermones* XLVII. de Paſſione Domini, quorum primus in illud *Pſal.* 6. *Turbatus eſt a furore oculus meus*, ita orditur: *Notandum eſt, quod furor et ira dei patris permaxima erat ſuper genus humanum* &c. Neque hi praecedentibus prolixiores ſunt, ſed gloſſis *bohemicis* paſſim interſperguntur.

III. *fol.* 145. *Sermones* miſcelli de Moribus LXXIV. quorum primus in illud Eccli. 23. *Nihil melius quam timor dei* &c. incipit: *Homines iſtis temporibus periculoſis auſcultant diligenter ut aliquid boni audiant* &c. Breves et ipſi et phraſi bohemica inculcati.

IV. *fol.* 227. Tractatus pro Transſubſtantiatione contra *Joh. Wicleffum.* Initium: *Quia iſtis nouiſſimis temporibusque periculoſiſſimis pene circa finem mundi hoc in regno videlicet Boemie criſtianiſſimo errores plurimi atque nocentiſſimi circa ſacroſancte diuiniſſimum eukariſtie ſacramentum proch dolor pululaunt* &c. Quatuor ſibi ſumit Autor: *Primum recitabuntur opiniones ſeu poſiciones, que circumſtant hoc venerabile ſacramentum. Secundum erit de transſubſtantiatione, quid videlicet nomine transſubſtantiationis doctores intelligant. Tercium erit de hac propoſitione demonſtratiua, Hoc eſt corpus meum, quis ſcilicet intellectus ſit eius* &c. *Quarto principaliter adducentur teſtimonia doctorum Sanctorum eccleſieque Canonum pro vera fide* &c. Calci adſcriptus eſt annus 1453.

V. *fol.* 243. *Incipit tractatulus Beati Auguſtini de contemptu mundi ad clericos.* Spurii hujus jam *Codd.* pluribus relati Sermonis initium eſt: *Audite fratres kariſſimi ſalutiferam patris noſtri* (al. *mei*, al. *veſtri*) *doctrinam* &c. Ad calcem annus 1453.

VI. *fol.* 245. p. 2. Tractatus imperfectus de tribus Habitaculis, qui infit: *Tria ſunt ſub omnipotentis dei manu habitacula ſummum ymum et medium. Quorum ſummum regnum celorum ymum infernus Medium mundus uocatur* &c. Autorem ignoro, ut jam dixi ad *Cod.* XC.

VII. *fol.* 250. Tractatus pro reali Chriſti in Eucharistia praeſentia, ejusque ſub utraque Specie perceptione, cujus initium: *Ibeſus chriſtus dominus et ſaluator ſuorumque donorum immenſus largitor nobis miſeris non noſtris meritis exigentibus, ſed ſua immenſa miſericordia ipſum ad hoc cogente, cum fontem veritatis de communione calicis etiam ad laicos non ſolum adultos ſed et parvulos re-*

ſeraſ-